

*marim. Lauterbach cit. tit. §. 36. Stryck cit. 122 differt. n. 47.* Quoad meliorationes tamen advertendum erit, maritum posse rem dotalem immutare, si modò conditionem dotis non deteriorem sed meliorem faciat, ut scilicet ampliores & copiosiores fructus progeneret per *l. fructus 7. §. 13. ff. d. t. l. sed nec 6. ff. de Fundo Dot. Stryck d. l. n. 50.*

123 III. Non potest equidem maritus rem dotalem, si inobis & inestimata, vel estimata sit sine venditione, durante matrimonio, quolibet modò alienare, Lege Juliã vetante *prinç. Institur. Quib. alienand. non licet. l. un. §. 15. Cod. de Rei ux. ad. t. ff. de Fundo Dot.* Idque verum est, tametsi consensus uxoris, etiam geminatus, & post biennium accedat, uti tradidit Brunnum. ad *l. si estimata 1. Cod. de Fundo Dot. num. 1.* Eckold ad *ff. d. t. §. 3. Lauterbach ibidem §. 16.* nec enim alicubi reperitur hæc exceptio: dum *Novella 61. cap. 1.* solum loquitur de donatione propter nuptias, illaque verba, & multò potius hæc in dote valebunt, quæ reperiuntur ibidem in §. 3. non ad convalidationem alienationis (ut putat dissentiens Stryck *d. l. n. 59.*) sed ejus nullitatem 125 referuntur. At res mobiles, præsertim servandò non servabiles, potest distrahere per *l. res in dote 4. ff. de Fure Dor. l. est dotis 3. Cod. eod. nisi labatur facultatibus, & impotens fiat*

## §. III.

## Qualem Effectum habeat Dominium Naturale.

129 **D**ominium Naturale, quod in uxore respectu dotis residere diximus in *num. 98.* durante matrimonio non habet alium effectum, quam quòd uxor habeat jus petendi alimenta quoad victum, vestitum, recreationem &c. imò etiam jus faciendi donationes & elemosinas juxta conditionem statùs, sicut cum Theologis aliis tradunt Lugo de *J. & F. disp. 16. sect. 6. n. 64.* Ininger de *Dom. disp. 2. q. 5. art. 3.* Si tamen maritus dotem perperam administraret, aut vergat ad incitas, licitum est uxori dotem vindicare *l. si constante 24. in pr. ff. Solutio marim. l. ubi adhuc 29. l. in rebus 30. propè fin. Cod. de Fure Dor. Nov. 97. cap. 6.*

130 **I**n princ. Hocque juxta Rebellum & Haunoldum *cit. tract. 4. num. 404.* procedit tam in dote adventitia quam profecticia, seu à patre uxoris profecta: quippe cum, stante matrimonio, potior sit causa filiaz, quam patris in dote, dum adhuc portanda sunt onera matrimonii, & alenda est familia.

131 **S**olutò matrimonii, si pacta dotalia nihil aliud contineant, Dominium Civile mariti quoad res dotales inestimatas aut estimatas citra venditionem resolvitur, & restã viã revertitur ad uxorem, ejusve hæredes, saltem de Jure novò, datã eidem rei vindicatione in *cit. l. in rebus 30. Cod. de Fure Dor. Struv. exercit. 30.*

132 **M**iller *ibid. l. g.* Quin etiam Dominium earum rerum, quæ fungibiles & usu consumptibiles aut estimata fuerunt estimatione

ad solvendum per *l. servum dotalem 21. ff. de Ma. numiss. l. licet dotale 1. Cod. de Servo pign. dat. Eckold ad tit. ff. de Fundo dot. §. 2. Zoëli ibid. num. 3.* Harprecht ad *cit. pr. Instit. n. 11.* Perez in *Cod. de Fundo dot. n. 6. & 7.* Stryck *cit. l. n. 54. & seqq.* Interim sicut locatio non est vera & stricta alienatio *arg. l. non solet 39. ff. Locati cond. ita nec prohibuitur est marito, rem dotalem alteri locare. Stryck d. l. n. 42.*

IV. competit marito rei vindicatio contra quemcunque dotis possessorem *l. dote ancillam 9. Cod. de R. V. l. de his 11. Cod. de Fure Dor.* etiam si possideat uxor *l. ob res amotas 24. ff. de A. R. A.* Et quia Dominii probatio, cateruquin in rei vindicatione necessaria, semper difficilis reputatur, datur marito non minus, quam alteri bonæ fidei possessori, actio publiciana *l. sunt & alia 3. §. 1. ff. de Publiciana in rem actio.* potestque cum rei vindicatione cumulari. Stryck *cit. l. n. 51.* Eadem vindicatio datur etiam marito, si rem dotalem perperam alienaverit *arg. l. quemadmodum 7. Cod. de Agricol. & censit.* licet namque contraveniat factò proprio; quia tamen non solum utilitas mariti sed etiam uxoris vertitur, à vindicatione non excluditur. Brunnum. ad *l. inter dum 1. ff. de Fundo dot. n. 2.* Lauterbach in *differt. de Fundo dot. th. 37.* Stryck *cit. l. n. 69.* Haunold *æpe cit. tr. 4. n. 415. & seqq.*

## §. III.

## Qualem Effectum habeat Dominium Naturale.

faciente venditionem, si matrimonio sublatò adhuc extant, reddit ad uxorem, eique tribuit rei vindicationem *d. l. in rebus 30.* Haunold *cit. tract. n. 335.* Miller *cit. l. Struv. th. 48.*

Verum hoc ita procedit, quando mulier ipsa constituit dotem. Alius autem si dotem constituit, refert, an pater constituit, an extraneus. Priore casu, uxor superstes, si patriæ potestati subsit, dotem repetit unã cum patre superstite *l. post nuptias 28. ff. de Fure Dor. l. soluto 2. §. 1. ff. Solutio marim.* Sin pater mortuus, aut uxor emancipata sit, repetit sola, sibi que lucratur dotem *l. un. §. 11. Cod. de Rei ux. ad. & arg. l. si filia 5. ff. de Divort. & repud.* Si verò defuncta sit uxor, pater in distinctè dotem repetit, de Jure Comuni juxta *l. si ab hostibus 10. in princ. ff. l. dos à patre 4. Cod. Solutio marim. & arg. l. pater 7. Cod. de P. act. convent.* licet de moribus hodiernis, quando liberi ex uxore præmortua adsunt, illa remaneat apud maritum. Struv. *d. l. th. 49.* Miller *ibid. l. b.* Lauterbach ad *cit. tit. ff. Solutio marim. §. 6. & 7.* Postiore casu dotis exactio pertinet ad uxorem & ejus hæredes, nisi specialiter extraneus dotis restitutionem sibi reservaverit *d. l. un. §. 6. & 13. Cod. de R. U. A.* Lauterbach *d. l. §. 8.*

Quid obtineat in casu adulterii quoad amissionem dotis? Alibi discutietur. Interim conferri potest Stryck in *æpe cit. differt. de Fure Mariti in Dote cap. 2. n. 74. & seqq.*

## SEC.

SECTIO III.  
De cæteris Domini Speciebus.

## SUMMARI.

138. & seq. Assumitur tractandum Dominium revocabile & irrevocabile. 140. & seq. Exempla Domini revocabilis. 146. & seq. Illius effectus. 148. Attingitur cum vero Dominio fictum, & illius exemplum datur in bonæ fidei possessore. 149. Qui rem quancunque. 150. & seqq. Bonæ fidei, saltem ab initio presentis. 154. Et subò tituli. 155. & seqq. Traditam accepit. 158. Et, antequam usuceperit, amittit, fingitur à Pratore dominus. 159. Et actione reali seu publiciana juratur. 160. & seq. Domino nequit publiciana denegari. 162.

Alterum exemplum filii Domini in usucapione propter absentiam. 163. & seqq. Non quidem si res presentis ab absente, sed absentis à presente fuerit usucapta. 167. & seqq. Declaratur absentia varietas. 172. Fingitur hic, Dominium non esse per usucapionem amissum. 173. & seqq. Daturque propterea à alio rescissoria. 176. Aliud exemplum Domini filii in actione pauliana. 177. & seqq. Illius defensio. 183. & seqq. Varia species Domini Prætorii. 187. & seqq. Discrimen inter hoc & Dominium Civile.

## §. I.

## De Dominio Revocabili &amp; Irrevocabili.

138 **D**ominium in cap. 2. num. 49. divisum est in Revocabile, quod restrictum est ad certum tempus vel conditionem; & Irrevocabile, quod neque certo tempori, neque conditioni certæ alligatur. Hoc à quibusdam perpetuum; illud temporale vel intermixtum appellatur; quod posterius vocabulum minus equidem latinum, sed tamen Jcis non inusitatum esse, demonstrat D. Joannes Klein in *Volum. disp. Furiã de Dominio intermixto cap. 1. §. 39.* num. 81. qui etiam in *num. 74. ex l. non ideo 66. ff. de R. V.* rectè comprobat, Dominium revocabile seu temporale veram Domini speciem esse: cum, ut loquitur ibidem Paulus, non ideo minus rectè quid nostrum esse vindicabimus, quod abire à nobis Dominium speratur.

140 **C**asus, in quibus Dominium revocabile competit, plures sunt. I. est, quando res alicui sub conditione de futuro contingenti legatur: donec enim existat conditio, Dominium rei legatæ penes hæredem est *d. l. non ideo l. arboribus 12. §. 5. ff. de Usufr. l. & post 12.*

141 **I**l. est in re dotali, cujus Dominium interim, dum matrimonium perseverat, marito competere, mon-

142 stratum est in *sect. præced.* III. est in vendita cum pacto additionis in diem aut legis commissorie sub conditione resolutiva: nam ejus rei Dominium in emptorem cou-

que transfertur, donec, existente conditione, venditio resolvatur *t. t. ff. de Adit. in diem & Lege Commiss.*

IV. est in re, reusã mor-143 tis donatã, quæ manet in Dominio donatarii tandiù, quãdiù periculum, cujus intuitu & contemplatione facta est donatio, subest *l. si mortis 29. ff. de Mortis causã donat.* V. est 144 in re, per fideicommissum restitutioni subiecta: illius siquidem Dominium ad hæredem, restitutione gravatum, spectat, usque dum eveniat dies aut conditio, sub qua restitutio fuit injuncta per *l. si fundum 81. in princ. ff. de Legat. 1. l. Marcio 41. §. 1. ff. de Legat. 2. VI. est in fructibus, quos bonæ fidei possessor interim suos facit, dum scilicet bonæ fides suffragatur *l. bona fidei 48. in princ. ff. de A. R. D.**

Effectus Domini revocabilis est idem ferè, 146 qui Domini irrevocabilis, pro illo saltem tempore, quò Dominium adesse supponitur: at, ubi Dominium extinguitur, plerumque quoad effectus permanentes subintrat regula, quòd, solutò jure dantis, resolvatur jus accipientis per textum in *l. Lex vestigali 31. ff. de Pignori. & ibi DD.* Veritas hujus do-

147 ctriuz cum suis limitationibus partim ex dictis de Dominio mariti; partim ex dicendis suo locò de speciebus Domini revocabilis, abundè patebit.

## §. II.

## De Dominio Vero &amp; Fictio.

148 **D**ominium in supra *cit. cap. 2. n. 47.* ulterris distinctum erat in Verum & Fictum. Verum Dominium hætenus ferè declaratum est. Ficti Domini exemplum est *l. in bonæ fidei possessore: qui enim rem bonæ fidei & justò titulò traditam accepit, & antequam usuceperit, amittit, fingitur à Pratore Dominus, & actione reali, quæ vocatur Publiciana, juratur t. t. ff. de Publiciana in rem act.*

Dixi I. *quærem.* Nec refert, corporalis illa sit, an incorporalis: nam etiam servitutes, tam reales quam personales, si à non domino constituantur, actione publiciana ob Fictum Dominium vindicari possunt. Quando fundus serviens ad alium devenit, istæ servitutem negat *l. si ego emi 11. §. 1. ff. de Publiciana in rem.* Stryck in *usu mod. pand. ad cit. tit. §. 6.* Struv. *exercit. 11. th. 41.*

- 350 Dixi II. *bona fide*. Textus in *l. sed et si* 7. §. 11. & §. 5. *seqq. ff. eod.* Sufficit autem de Jure Civili, bonam fidem ab initio concurrere: nam superveniens mala fides, sicut eodem Jure non impedit usucapionem; ita nec Fictum Dominium aut resultantem exinde Publicianam.
- 351 Admittit *d. l. sed et si* 7. §. 14. De Jure Canonico contrarium statui, putat Bachovius apud *cit. Stryck* §. 4. quia scilicet hoc Jure superveniens mala fides impedit prescriptionem.
- 352 *anem cap. ult. de Prescript.* Sed verius id negat *cit. Stryck, Lauterb. ad cit. tit. §. 8. & 9.* Gletle *p. 2. Pand. q. 21. n. 5.* cum nihil iniquum sit, eum, qui rem ab initio bona fide iustoque titulo fuit adeptus, pro domino haberi, & actione Publiciana contra non-dominium defendi; & saltem effectu, ut rem vindicantem non sibi reservet, sed vero domino restituat. Idque non ingratum sed acceptum debet esse domino, qui occasione Publicianæ, judicialiter ventilata, facilius in notitiam rei suæ devenire potest. Nec paritas est cum prescriptione: in hac siquidem non-dominus contra verum dominum eod effectu defenditur, ut Jure Domini rem sibi servare valeat: id, quod fieri sine peccato non potest, ubi reperitur mala fides.
- 354 Dixi III. *de iusto titulo*, qui nimirum habilis est ad transferendum Dominium. sive coloratus sit, sive existimatus ex justa erroris causa. *l. ait prator 1. in princ. & §. 2. l. vel mortis 2. l. sum & alia 3. & seqq. ff. d. 1.*
- 355 Dixi IV. *traditam accepit*. Nam sine traditione regulariter nec Dominia quaeruntur, nec usucapio perficitur; adeoque nec Fictum Dominium, nec Publiciana producitur *d. l. ait prator 1. in princ. & §. 2. l. sed & si res 7. §. ult. ff. de Public. in rem act.* Si tamen quandoque Lex Dominium sine traditionis adminiculo transferat, veluti contingit in legato, frequentior pars DD. contra Bachovium & Wissenbach sustinet Fictum Dominium & Publicianam per *cit. l. ait prator 1. §. 2. l. cum sponsus 12. §. 1. ff. eod.* Stryck *ib. §. 2.* Hilliger in Donell. *lib. 20. cap. 8. lit. o.* Gletle *2. p. pand. quæst. 22. num. 3.* Neque enim tunc opus est traditione ad Fictum Dominium, ubi verum Dominium citra traditionem acquiri potest.
- 357 Ideoque si legatarius nequeat probare, rem sibi legatam in Dominio defuncti existisse, movere poterit actionem Publicianam, & docere, rem legatam ex iusto titulo legatam fuisse traditam.
- 358 Dixi V. *antequam usuceperit, amittit, fingitur à Pratore dominus*. Oritur itaque Dominium Fictum ex titulo bonæ fide, æquitate Pratorii cooperante per textum in *§. sed ista 3. & seq. Instit. de Act. l. sed et si 7. §. 6. ff. de Publiciana in rem &c. l. bona fidei 48. in princ. ff. de A. R. D.* Verumque in Jure Canonico quasi-Dominium per textum in *cap. Abbate 3. circa med. de Sent. & re judic. in 6.* Stryck in *tratt. de Action. forens. sect. 2. membr. 1. §. 18.*
- 359 Dixi VI. *de actione reali, qua vocatur Publiciana, jurejurat d. §. sed ista 3. & seq. Instit. de Action.*

Est itaque actio Publiciana actio realis & Prætoriana, quæ is, qui bona fide iustoque titulo rem à non-domino accepit, & usucapione nondum completâ, possessionem amittit, agit adversus illum, qui rem eandem infirmo jure, puta sine titulo vel bona fide, possidet, ut quasi-dominus declaratur, & res illa restituatur.

Quodsi quis rem usuceperit, 160 aut aliò titulo verè suam fecerit, habet quidem remedium ordinarium, seu directam vel utilem rei vindicationem: si tamen difficultatem sentiat in probando Dominio, poterit instituire Publicianam, & ostendere, quòd rem ex iusta causa & bona fide receperit. Nec enim adversarius exceptionem Domini 161 regeret, vel opponere valet, quòd domino non competat Publiciana: utpote cum injustitiam suæ possessionis manifestè detegerit, indignus, qui diutius rem detineat. Ideòque jam obtinuit apud Prætoricos, ut rei vindicationem cum Publiciana cumulet, ac rem Jure domini vel quasi-vindicent. *Gail. 1. obs. 62. n. 5. Stryck cit. l. §. 1. Gletle 2. p. pand. quæst. 20. n. 1. & seqq.*

Alterum exemplum Ficti Domini occur- 162 rit in usucapione: nam quando res alicujus propter absentiam est ulucapta, fingitur à Pratore non fuisse ulucapta, daturque propterea actio rescissoria, de qua extat *§. rursus 5. Instit. de Act.*

Dixi I. *quandores alicujus*. Ubi mox disce- 163 ptatio non levis exoritur: an Dominio Fictò, nec non actione rescissoria potantur non tantum absentes contra præsentis, sed etiam præsentis contra absentes? Non quidem de Jure Veteri, quò perinde præsentibus ac absentibus, quando procuratorem non relinquunt, consultum erat per *l. item ait. 21. in pr. & §. 1. l. ergo sciendum 22. §. 2. ff. Ex quib. caus. major. Lauterb. eod. tit. §. 11.* Sed 164

de Jure Novò, quò cum præsentibus detur remedium ordinarium, ut adeant Judicem vel Episcopum ejus loci, in quo forum sortitur absens, & oblatò libellò prescriptionem absentis interpellent *l. ut perfectius 2. Cod. de Annali except. remedium extraordinarium, seu restitutionem per actionem rescissoriam exclusam esse, cum aliis docent Schambogen ad §. rursus 5. Instit. de Action. pag. m. 100. Gletle ad *tit. Instit. eod. n. 54.* Sed Brun- 165 nem. ad *d. l. ergo sciendum num. 3. & Lauterb. cit. l. §. 12.* sentiunt, hodiernum præsentibus contra absentes, quando nec procurator nec defensor adest, suffragari Prætoris auxilium: quippe cum in *cit. l. ut perfectius* non abolitum, neque concessum sibi remedium sub præcepto, sed magis sub consilio proditum, ac non tam pingue sit, quàm actio rescissoria, dum per oblationem libelli non ipsa res præscripta repetitur, sicut per actionem rescissoriam, sed præscriptio tantum interruptitur. Prio- 166 rem tamen sententiam præferendam judico cum Stryck in *usu mod. pand. ad cit. tit. §. 1.* partim quia remedium extraordinarium non est pinguius, dum per ordinarium impediri præ-*

scriptio, & antiqua actio salva conservari potest: partim quia, si remedium ordinarium omittatur, læsio contingit ex culpa propria, ob quam Prætor majoribus non succurrit. *l. non enim 16. ff. Ex quib. caus. major.*

167 Dixi II. *propter absentiam est ulucapta*. Ubi quidem in sententia illorum, qui restitutionem præsentibus etiam indulgent, non interest, qualis absentia fuerit, quando res præsentis ab absente, procuratorem non relinquentem, fuit ulucapta: nam absentia qualiscunque, sicut absenti non debet cedere damno, sic neque lucro *d. l. item ait Prator 21. in pr. & §. 1. l. ergo sciendum 22. §. 1. & 2. ff.*

168 *Ex quib. caus. major.* Verum, si res absentis à præsentibus præscribitur, interest, qualis sit absentia. Nam si quis ex causa necessaria, publica vel privata (dummodò non sit culpabilis, qualis est absentia relegatorum *l. sed et si 26. §. 1. ff. d. r.*) abfuerit, simpliciter ei subvenitur *d. l. sed et si 26. §. ult. l. videlicet 29.*

169 *ff. eod.* Si quis autem ex causa voluntaria sed laudabili, cujusmodi est causa studiorum, abfuerit, ex mente D. Gletle ad *tit. Instit. de Action. n. 56.* non aliter restituatur, quàm si procurator ab eo relictus decesserit, aut defensionem absentis non susceperit, ac solven-

170 do non existat *l. nec non 28. in pr. ff. d. r.* Licet ex judicio D. Struvii *exercit. 8. ib. 79.* & D. Lauterbach ad *cit. tit. §. 14.* simpliciter restitutionem mereatur, ac verbum *forè in cit. l.* non determinativè sed exemplificativè 171 sumatur. Si demum causa sit voluntaria & indifferens, Judicis arbitrio relinquendum existimat cum Franzkio Lauterb. *d. l.* an circumstantiæ tales concurrant, quæ restitutionem mereantur *arg. cit. l. nec non 28. in princ.*

172 Dixi III. *fingitur à Pratore non ulucapta*. Fingit itaque Prætor, Dominium, quod reverà per usucapionem, juxta regulas Juris Civilis completam, in alium est translatum, vero domino nunquam adeptum fuisse: cum econtrà in actione Publiciana fingat, Dominium per usucapionem acquisitum fuisse, priusquam usucapio reipsa fuerit adimpleta. Harpprecht ad *§. rursus 5. Instit. de Action. num. 1. & 2.*

173 Dixi IV. *daturque propterea actio rescissoria, quæ definitur à D. Gletle ad cit. tit. num. 52.* quòd sit actio Prætoriana, quæ intendit actorem, adversarium non usuceperit, quod reverà usuceperit *d. §. rursus 5.* Non additur autem in hac definitione, sitne actio rescissoria realis; 174 vel personalis. Nam, si mediante prescriptione fuerit civiliter amissum Dominium aut aliud jus reale (quo in sensu hucusque differimus) actio rescissoria dicitur realis *d. §. rursus 5.* sin autem adminiculante prescriptione sit amissum jus ad rem, actio rescissoria vocatur personalis *arg. l. ab hostibus 18. Cod. de Postul. revers.* quia scilicet per actionem rescissoriam idipsum restituatur, quod per prescriptionem erat ablatum. Harpprecht *cit. l. num. 3. Lauterb. cit. l. §. 24. & seq.*

Tempus instituentæ hujus actionis olim 175 erat annus utilis; hodie est quadriennium *l. ult. in pr. & §. 1. Cod. de Temporib. in integr. restit.* Intellige si quis læsus fuerit in toto prescriptionis tempore. Nam qui v. g. abesse cœpit, cum præscriptioni tantum unicus mensis deesset, reversus debet restitutionem intra spatium unius mensis petere *l. sed et si 26. §. 8. ff. Quib. ex caus. major.* licet petitam ante quadriennium finire non teneatur. Gletle *p. 1. Pand. q. 33. n. 7.*

III. exemplum Domini Ficti suggerit actio 176 Pauliana, quæ datur creditoribus, in quorum fraudem & perniciem debitor res suas alienavit, adversus possessores, qui vel fraudis sunt conscii, vel res tenent ex titulo lucrativo *§. item si 6. Instit. de Act. l. quod autem 6. §. 8. & 11. ff. Qua in fraudem creditor.* Et quamvis 177 permulti contendant, actionem Paulianam non ex Dominio Fictò, sed delicto descendere, proindeque non realem sed personalem esse. Gletle ad *tit. Instit. de Action. n. 59.* At-

tamen quia Imperator in *cit. §. item si numerat* actionem Paulianam inter reales, dicitque, eadem rem peti, quasi tradita non sit, & ob id in bonis debitoris manserit: satis luculentè agnoscit, actionem illam esse realem, æque ac actionem rescissoriam, de qua in *§. anteced.* locutus erat, & cum qua Paulianam per particulam *item* conjunxerat. Nascitur siqui- 178 dem ex Fictò Dominio, quod creditores, in bona debitoris, solvendo non existentes, immisisti consequuntur, ad eum ferè modum, quò actor, in bona rei contumacis immisisti ex secundo decreto veram possessionem (quam non ineptè fictum Dominium appellare possumus) consequitur: eaque propter res alienata nunquam alienata, sed adhuc debitoris bonis incorporata mansisse fingitur. Quòd 179

si memorata actio ex delicto, tanquam causa proxima, descenderet, non esset opus hujusmodi fictione; neque daretur contra tertium possessorem, saltem si rem bona fide, & titulo lucrativo, accepit. Harpprecht ad *cit. §. num. 3. & seqq.* Schambogen *ibid. pag. m. 109.* Zoëf. ad *tit. ff. Qua in fraud. creditor. num. 3.* Eckold *ibid. §. 2. Lauterbach ibid. §. 7.*

Equidem actio Pauliana in *l. videamus 38. l. 80 §. 4. ff. de Usur.* comparatur Fabianæ, quæ Patronus, liberto ex testamento succedens, revocat, quæ in fraudem ipsius sunt alienata; & quæ unâ cum Calvisiana, quæ Patronus, liberto ab intestato succedens, alienata in fraudem repetit, personalis est *l. si quis 1. §. 26. ff. Si quis in fraudem Patroni &c.* Verum illat 180

comparatio non est absoluta, sed respectiva, videlicet quoad restitutionem fructuum: dum æque in Pauliana quàm Fabiana & Calvisiana fructus restitui debent *d. l. videamus 38. §. 4.* Discrimen autem inter Paulianam ac Fabianam vel Calvisianam actionem est in eo, quòd illa præsupponat missionem in possessionem, ex qua Fictum Dominium exoritur; hæc vero nullam possessionem. sed dolum alienantis duntaxat aut defraudationem Patroni, adeò-